

05

A

1906





D. O. M. A.
DISSERTATIONEM PHYSICAM
De

MUNDO,

In Electorali ad Albim
Academia

PRÆSIDE

M. Gottlieb BALDUINO,

*Publicè ad ventilandum pro-
ponit*

JOHANNES BALTHASAR
BALDUINUS,
Cycneus.

*Ad d. 7. Maji
In Auditorio Minori, Horis antemerid.*



Literis MATTHÆI HENCKELII.
ANNO M. DC. LXIV.

Liberæ atq; Illustris
S. R. I. Reipublicæ Ratisbonensis

CONSULIBUS & SENATORIBUS

VIRIS
GENEROSA NOBILITATE, MAGNIFICENTIA, AMPLI-
TUDINE, CONSILIO AC PRUDENTIA
EMINENTIBUS

Ut &
VENERANDI CONSISTORII ECCLE-
SIASTICI

PRÆSIDI atque ASSES-
SORIBUS,

MAGNIFICIS, MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMIS
& CONSULTISSIMIS

DNIS PATRONIS, PROMOTORIBUS &
BENEFACTORIBUS SUIS GRATIOSIS,
Humillimâ observantiâ et atem colendis,



Has qualescunque studiorum Primitias
in devotæ gratisimæque mentis arrham,
ulteriorisq; Benevolentiaë incita-
mentum

D. D. D.

05 A 1906

RESPONDENS.



Q. D. B. V.

IN MUNDO vivi-

mus : At quid Mundus sit, pauci cogitant, suo tantum affixi loco : Terræ filii, sed nec hujus, quam colunt, semper memores. Cœli Solisque contemplandi causa natum se credidit Anaxagoras; In quo cœco errore fortè substitit. *Animus* Aug. l. 7. C. D. autem *noster religione confisus non tanquam* cap. 26. *Deum suum adoret mundum*, sed ita spectet, ut in eo miratus Opificem, gratâ devotâque semper memoriâ celebret. Omnia ad gloriam tuam **DOMINE!**

§. I.

Nomen apud Latinos ab absoluta perfectaque elegantia & ornatu convenienter habet. Eâdem de causâ à Græcis *κόσμος* adpellatus, (sive à Pythagora primò, quod Plutarchus vult, seu Parmenione, seu Hesiodo, nostra parum refert) *Plin. l. 1. c. 4.* Inde etiam *τὸ τε καλὸν πᾶν ἐπὶ νόμον ὄντι τὰ τε καὶ τὸ πλεονάζον διὰ κόσμῳ λεγόμενον κεκοσμηθῆσθαι.* Ut vel ideò vox ista penes Autores tot æquivocationibus exposita videatur. *V. Martin. Le-*

Pl. l. 2. de Plat. cit. Philos.
Aut l. d. Mund. c. 5.



& hypotheses accuratius pensitemus. Unde alii patrocinari vix audent; imò aperte etiam errorem Aristotelis tangunt; nisi quod pro æternitatis possibilitate, studio defendendi Philosophum, aliqui laborent.

§. 4. Longè rectius Ægyptii etiam in Ovo considerasse universi Conditoem videntur. In arcanis enim mysteriis Deum Kneph dictum pinxere humanâ formâ, colore cœruleo, qui Zonam teneret ac Sceptrum, pennamque in Capite gestaret. Ovum ab ore emergebat: Per quod plurimi nil nisi Mundum intelligi putant, tum creatum, cum Deus *Fiat* suum protulit. Vetusta aliàs opinio fuit, Mundum ovum esse; (si ratione etiam figuræ, magnoperè errant) quam è Mosaica Metaphora ortam censet Excellentiss. Theologus & Philologus Dn. Joh. Henr. Ursinus, Patronus noster ac Promotor maximè observandus ac colendus.

§. 5. Rationes, quæ fortè infirma ratio contranitur, tanti momenti non sunt, ut, quæ de semetipso testatur Mundus, infringere valeant. *Quodammodo enim, dicente Augustino, tacitus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, ineffabiliter atque invisibiliter pulcro fieri potuisse proclamat.* Ac si Dei nutu (verba Scaligeri sunt,) gubernantur omnia, (id quod nemo mentis compos negare potest) necessariò sequitur, eundem omnium fuisse effectorem. Nam si non fecit: igitur ab alio factum acceperit, vel mutuo, vel commodato, vel vi, vel emptione, vel deposito, vel locato, vel legitimâ successione, vel in vacuum venerit possessionem, vel jussu tanquam minister aut servus aut mercenarius à Domino. Quæ omnia meræ nugæ sunt, eaque impiæ.

§. 6. Facilis ita responsio est, si de infinitate durationis quæritur, seu an Mundus extensivè consideratus finibus, tum à parte ante, tum à parte post destituatur? Cum sana non minùs ratio, quam Scriptura S. *αὐτόματῶς* eandem subministret. Extensivè dicimus: Nam si intensivè spectetur, quatenus omnes species, omnia corpora naturalia complectitur, certum est, formam hominis specificam, animam nostram rationalem omnis interitus expertem esse. Taceo idem quoque (quæ fidei res est,) numero corpus hominis olim resuscitatum iri.

A 3

§. 7. Ma-

Euseb. l. 3. Præpar. Evang. cap. 3.

Gen. 1, v. 2. I. H. Ursin. Anal. S. Vol. 1. l. 5. c. 3. & Theol. Symbol. c. 19.

Aug. C. D. c. 4.

*et non dependi dicitur
deum. Et in fine
et sic habet f. pa
tionem spectat. et
& non, a. e. nihil
nam illa cum a. d.
deus. et non a. de
nihil a. alid ubi.
in infinito. f. 2. E.
09. 16. 11. 4.*

*Lactant. l. 2.
c. 8.*

*Dorn. in Phys.
gen.*

*Borro de nov.
Regn. Cocin-
cin. c. 8. part. 2.
Stengel. O.
Pasch. embl. l.
n. 5. p. 3.*

*B. Sperl. Inst.
Phys. l. 9. Ana-
ceph. q. 1. p. 1328.*

§. 7. Materiam Mundi constituendi noli quærere, nulla fuit. Nec enim audiendi sunt Poëtæ, Chaos in principio fuisse rari (**Deo sc. Coæternum**) i. e. Confusionem rerum, atq; elementorum; postea verò Deum diremisse omnem illam Congeriem &c. V. Lactant. Platoni etiam à quibusdam tribuitur, quod materiam Mundi æternam, & infinitis seculis ultrò citroq; discurrentem fecerit, priusquam Deus ex Confusione illâ difformi eandem in ordinem redegerit. Invaluit apud Stoicos, Hermogenem & alios quoq; hic error; eundemq; renovâsse videtur Paracelsus, & Dorneus, **per magnum mysterium increatum, in quo omnes res actu, sed confusæ fuerint.** Multò minus nisi risu excipienda lepida illa fabula, s. recepta quondam, opinio, cujus etiam supra mentionem fecimus; Mundum ex ovo natum. Memorat ex Christoph. Borro Stengelius de quodam, cui Xaca nomen, à quo sectas ferè omnes Orientis profeminatas dicit, ita philosophatum de Mundi creatione: Ex ovo natum, qui sanè in immensum intumescens ubi sese extenderit, corticem ejus in Cœli materiam transiisse; albumen verò mutatum esse in aërem, aquam & ignem: Vitellum autem in terram, quæque in illâ continentur. Mitto, quæ de Gigante, quasi ex ejus pediculis homines enati sint, &c. idem narrat. Constituti ergò Mundi hîc materiam damus: Corpora naturalia omnia & singula, simplicia & mixta, animata & inanimata, vegetativa, sensitiva & rationalia. Ratione cujus Mundus etiam in superiorem & inferiorem dividitur.

§. 8. De Formâ vero Controversia movetur acrior. Nos in definitione Ordinem s. Compagem ordinatam statuimus: Cùm alii econtra Deum: alii cœlum: Figuram alii: alii animam seu spiritum, (alii animam & spiritum) toto universo communem faciant. Priores non attingemus; Tertia verò altioris indaginis videtur. Planum est judicium B. Sperlingii nostri: **Si quis mundo concedendus Spiritus, præter Deum omnia gubernantem, nullus erit. Hic ille spiritus est, quo de passim cecinere Veteres. Orphicis**

phicis Carminibus de ipso quæ dicta sunt, haudqua-
quàm perperam dicta sunt. Rectè, autor libri de Mun-
do habet: *Ζεὺς πᾶσι*. &c. Labet tamen animi gratia,
non nihil hîc in medium proferre.

§. 9. Originem non à recentioribus demum traxit;
sed apud antiquos etiam Scriptores reperitur. Platoni &
Stoicis tribuitur, Mundum animal dixisse sensu & ratione
præditum, quia animam habeat. Sed tamē non eodem modo
sententiam Platonis omnes accipiunt. Quidam enim idem
intellexisse volunt, quod per Spiritum S. Christiani: alii *V.M.D.D.*
Deum: Alii tamen non animam intelligentem, sed tantum *Calov. Syst. Th.*
sublimiorem quandam naturam corpoream per omnia va- *T. III. p. 925.*
gantem omniaq; moventem. Si Experientissimum Celeber-
rimumq;, nostrum B. D. D. Sennertum consulimus, Platonis *in aureo l. De*
Animam Mundi nil aliud esse censet, quàm *δεσμὸν* illum con- *Cons. & Dissens.*
trariarum rerum *συναγωγὸν*, omnis *ἐνταξίας* in hoc mundo *Chym. cum A-*
fontem & principium. Quam in rem adduxit locum Pla- *ristot. & Ga-*
tonis, ubi scribit, quod ipsam Deus in Medio ipsius Mundi in- *len. c. 7. p. 146.*
diderit, & extra eduxerit, ipsumq; Universum ea contraxerit. *Plat. l. de ani-*
Seu ut in Timæo habet, quod animam Deus in Medio Mundi *ma Mund.*
collocârit, & per totum extenderit ac circumdederit corpo-
re, & vestiverit corpore extrinsecus, eamq;, ut Dominam &
Imperatricem obedienti præfecerit Corpori. Et alibi *ψυ-* *l. 10. de leg.*
χὴν esse *διοικῆσαν καὶ ἐνοικῆσαν*. In omnibus quæ moventur,
eamq; universi mundi curam gerere.

§. 10. Hanc Platonis, & qui sequuntur eum, senten-
tiam, egregiè iudicio Viri laudati, expressit Virgilius:

Principio Cœlum ac terras, camposq; li- *Virg. l. 6. Æn.*
quentes,
lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra,
Spiritus intus alit, totamq; infusa per ar-
tus.

Mens

Mens agit at molem, & magno se corpore
miscet.

Item:

4. Geor.

Deum namq; ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, Caelumque pro-
fundum.

Nuysement.
Traët. de sale
Philos. p. 178.

Imò existimat Monsieur de Nuysement, à D. Combachio latinitate donato tractatu, Hunc ipsum Maronem in omnibus secretis Mysticis perfectè doctum Spiritum Mundi, a. Animam M. sub Jove indigitare, quem à Pastore suo Dameta invocatum introduxit, quia, ut dicit, *ejus omnia plena sunt.*

Pana quoq; pro eodem haberi, tum quia πᾶν omne significat, tum quia constituitur Sylvarum Dominus; quia Græci pro rectore hujus Chaos illum coluerunt, quod aliàs Hyle, s. sylva ab aliis nuncupatur. Orpheus a. in suis hymnis ita illum alloquitur: (Gal. Idiom. express.

Eclog. 3.

Pan le fort, le subtil & c.

Pan fortis, subtilis, integer, universalis.

Totus aër, totus aqua, totus terra & totus
ignis immortalis.


Arist. l. 3. ge-
ner. animal.

§. II. Sed & Aristotelem quid de hoc dogmate assignâsse, clarum videtur. ἐν γὰρ ὑπαρχεῖν τὸ ὑγρὸν, ἐν δὲ ὑδατὶ πνεῦμα, ἐν δὲ πνεύματι θερμότητα ψυχικὴν ὡς τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη. Humorem in Terrâ, spiritum in humore, calorem animale in universo inesse: ita ut quodammodo plena sint animæ omnia. Quæ verba πάντα πλήρη ψυχῆς etiam in lib. Hermetis, (cui multarum rerum & artium scientia Trismegisto cognomen imposuit, ut Lactantius ait:) cui titulus: ἄρς πρὸς ἐρμῆ, exstare, Excell. observat Sennertus.

Lactant. l. 1.
c. 6.
l. c. p. 148.

Quam-

Quamvis libri Hermetis paulò suspectæ fidei sint, (quorum Jamblichus Magus Platonicus de Mysteriis, trabali ut sic dicamus, mendacio, triginta sex millia, quingentos & viginti novem de Ægyptiorum sapientia conscriptos numerat.) nec semel de eodem inter eruditos dubium obortum sit. Communiter aliàs recentiores illud quoque Hermetis in tabulâ Smaragdinâ, de Spiritu Mundi interpretantur hoc ferè Schemate:

SUPERIUS,
 QVOD EST  EST SICUT
 INFERIUS & vice versâ.

§. 12. Illos igitur quod concernit, uti non ejusdem omnes ingenii sunt; Ita alii crassiùs, alii subtiliùs paulò mentem suam exposuerunt. Circa τὸ ὄλ̄ apertè quidem: τὸ δὶό τ̄ rem ipsam propter utile suum (multis inutile) tot tricis involventes, ut non rarò vix semetipsos, quid velint, intelligant. Apud plerosque tritum illud usu venit: Si non vis intelligi, velis negligi: præsertim in iis, quæ fundamento isti superstruunt. Rationem obscuritatis quidem dat ante citatus Mons. de Nuysement: *Scivisse probè (Veteres & modernos Sapientes) ceremoniosam naturam nolle se nudam conspiciendam exhibere, aliter enim nunquam sub tot diversis formis & differentibus speciebus sese occultasset, & sub infinitis figuris cavisset, ne venerabilia sua secreta contemptum rebus divulgatis & communibus semper accedentem incurrerent.* Quâ ipsâ Naturæ Parenti imputatâ invidiâ, nisi sibimet ipsi patrocinetur, vix hypotheses suas (illam præsertim: quod mundus, quia vivit, habeat animam, Spiritum & Corpus) doctis probabit.

V. de eo Pl. R. antecit. D. Ur. sin. Exerc. de Trismegist.

Nuys. l. c. cap. 4. p. 174.

l. c. cap. 2.

B

§. 13. At-

§. 13. Atque inde fortassis est, quod sive ad illicien-
dum lectorem Peripatheticis præceptis imbutum, sive abster-
rendum primâ statim fronte τὸς ἐξ ἐναντίας, sæpè termi-
nos usu tritos vel in Schola Peripatheticorum frequentes ad-
hibeant, v. g. Materiam Primam (non Aristotelis illud mon-
strum, sed semen &c. innuentes) Quantum tamen è qui-
busdam colligere est, non Intelligentem animam, sed
Spiritus quendam communem & vitalem profitentur, qui
per universum hunc mundum diffusus conservet omnia
& foveat seu vegetet.

§. 14. Breviter, si luculentiùs eorum mentem cupis,
secundum Hermeticos Spiritum à Sole & Lunâ satum & na-
tum: in aere radicum: à terra nutritum. Quo sensu talia scri-
bant, ut tamen universalis maneat spiritus, cujus sedem hinc
& inde quærunt; ut salvæ maneant formæ specificæ, ipsos
vide. (Aliàs terreum hoc corpus certâ suâ & speciali animâ
vegetari, non incelebris Mathematicus judicat: Num huc
collimet? non sciscitabimur.)

§. 15. Propterea ejus habitaculum alii rori, alii plu-
viæ, alii luto, terræ silicibus, non pauci nitro adscribunt, seu
terræ Virgineæ (is scilicet, qui nomen suum hoc modo ἀνα-
M.S. Nov. *γεγονῆται*. DIVI LESCHI GENUS AMO) Unde *varis*
lum. Chim. *laboribus* educere seu elicere conantur: Cui fini? liquet. Lu-
bet hic judicium annectere D. D. Joh. Joach. Becheri Spirensis
haud ita pridem hanc in rem collatum: (quamvis ab aliis
etiam Excellentibus Viris inter absurda referri non ignore-
mus) Tales, inquit, videntur Naturam subintelligere, eamq̃
Oedip. Chym. *corporaliter ob oculos sistere velle; Rerum enim vegetatio*
Tit. I. §. 4. p. 13. *naturæ facultas est, non materiale aliquod Corpus vel Spi-*
ritus, qui in manus artificum veniat. (At incorporandum
demum statuunt, vel, ut loquuntur, corporificandum; nisi
fortè velint incorporatum jam in crassiùs quasi compingi
corpus debere.) *Pari enim impossibilitate occultas qualitates*
natu-

*naturæ suis quis oculis videbit, suis quæret tractare mani-
bus. Non inficias eo, reperiri materias subtiles, quibus
vegetatio promovetur, atque corpora conservantur; ve-
rùm accidentaliter non essentialiter &c.* Tandem enim pro
absurdissimo habet. Plures ac plura citare hîc nolumus; sed ad
aliam occasionem rejicimus.

§. 16. Colligere interim certi quid inter tot senten-
tiarum divortia difficilè est: quandoquidem à festivis inge-
niis sapiusculè animi gratia subtiliùs hæc materia disputetur,
quam proberetur, aut aliud quid intendatur. Quâcunque, ta-
men ratione interpolatum sit à modernis sive Veterum hoc
sive Recentiorum assertum, nondum fidem invenit, donec
firmiores demonstrationes adferant ejus Patroni, vel opere
ipso, cujus gratia suum fecere, stabiliant. Facilè quidem cum
B. Sperlingio admittimus illud *Seneca: Multa seculis tunc fu- Sen. l. 6. N. C.
turis, cum memoria nostri exoleverit, reservantur. Pusilla res l. 7. c. 31.
mundus est; nisi in illo quod quærat, omnis mundus habeat.* Non-
dum veritas occupata. At quæ nuper sive vidimus ipsi, sive
accepimus, si ita sunt, vix dubium illud eximent in animo re-
siduum: Annon alia fortè causa subsit? Annon Sympathiæ
aut Antipathiæ adscribenda? Si regerit: unde illa Sympathia
vel Antipathia? Unde illa qualitatum occultarum seu mani-
festarum similitudo vel dissimilitudo? aut formis specificis
aliquid concedere nolit, quærimus, unde certos reddet, hoc
vel illud esse spiritum Mundi, vel à Spiritu Mundi? Cùm ta-
men arcanum sapiat Naturæ, sequens prodat Scazon:

TRAHO. REPERTUM. SOLVO. QUÆ- RE. PLUS. ULTRA.

§. 17. Loco formæ illius itaque, ceu dictum est, ordi-
natam compagem seu *παραγωγή* illam systematicam substi-
tuimus; accidentalem puta. (Non enim Mundus ens unum

est; sed ex pluribus corporibus constitutus: Unus tamen propter amicam illam omnium harmoniam) atque κατ' ἀναλογίαν. Ut enim forma dat esse: Ita ordo dat esse Mundo: Et si non esset ordo, non esset Mundus.

§. 18. Finis Mundi Constituti ultimus Deus est. Omnia propter Deum. Cùm enim omnis finis bonus sit, & eius cuius est finis, perfectio: Deus autem ultimum & perfectissimum sit; omnium etiam rerum finis Deus est, atque omnia propter illud unum sunt, quod non est propter aliud, præter se, omnesque res opus habent D E O & ut sint; & ut benè sint. Inde Hermes Trismegistus hoc modo expressit finem: πρῶτον ὁ Θεὸς δεύτερον ὁ κόσμος; τρίτον ἄνθρωπος, ὁ κόσμος διὰ τὸν ἄνθρωπον; ὁ δὲ ἄνθρωπος διὰ τὸν Θεόν. Idem Cicero innuit: Mundus iste Deorum hominumq; causa factus est, quæq; in eo sunt omnia, ea parata ad fructum hominum & inventa sunt. Quomodo autem rerum omnium species propter hominem factæ sint, non ita planum judicant eruditi. Scaliger eos hostes veritatis vocat, qui volunt ad hominis usum facta omnia. Hoc tamen probè tenendum, usum quamvis immediatè non obtingat, sive in sensus statim incurrat, propterea negandum haud esse.

§. 19. Dispersitur, ut supra observatum, Mundus in superiorem & inferiorem. Ille est Compages ordinata è Corporibus Cœlestibus coagmentata. Cœlum, Stellas & Aquas supra Cœlestes complectens. Hæc est Ordinata Compages è Corporibus subcœlestibus coagmentata; Quò pertinent Elementa, Mistæ & Animata. Ubi summa imis, ima summis, singula singulis ita copulavit manus altissimi, ut ne minimam quidem vacuo reliquerit rimulam. Omnia etiam tantâ disposuit sapientiâ, ut mira passim fulgeat agentium & patientium similitudo & dissimilitudo, dicente B. Sperlingio nostro.

§. 20. Ex hætenus dictis constabit, unum nos hîc sistere Mundum contra innumerabiles Democriti, & Epicuri inter-

libr. de piet. &
Philos.
Cic. l. 2. de
N. D.

l. c.

Intermundia; illosq; qui alios fingunt, in quorum aliquibus neq; sit Sol neq; Luna: In aliis esse Solem & Lunam; sed majores, quam in nostro; In nonnullis etiam plures esse soles; esse etiam aliquos Mundos animalibus, plantis, & omni humore destitutos. Tam absurdum esse Metrodorus ajebat unum tantum dari Mundum; quam si in amplissimo agro unica tantum spica produceretur. Nobis id absurdum minimè, sed certissimum est. Divinæ potentiae nil derogatur asserto hoc: Plures enim condere noluit (nec enim ad deliria Origenis descendendum est, quasi defectu materiae non potuerit) *similis diviti Convivatori, qui non omnes, quas habere potest, sed quantas Convivii dignitas exposcit, satiandæ Convivorum aviditati, dapes apponit.*

Theophil. Alexand. l. 1. paschat.

§. 21. Ut verò artificiosissimè conditus est à Deo: Ita potentissimè conservatur. Nam quod alii de senio ejusdem naturali proferunt, sufficienti ratione destituuntur. Coelum descendisse perhibent. At ubi aër remansit? Num Corpus in Corpus subit? Rectè Scaliger: *Quæ nonnulli prodece ausi sunt, inquit, Solis Corpus longè propius nos esse, quam quantum ab antiquis scriptum sit; Ita in ipsâ deserentis corpulentiam locum mutasse videatur: Vel ipsa scripta spongiis, vel ipsi autores scuticis sunt castigandi:* Qui elementis eandem adhuc esse potentiam negant, accedant ad ignem, plus satis incalescent. Similiter plantæ suam etiamnum *ἐπιγεια* obtinent. Nec eadem omnes plantas terra nutrit, ut Botanicis notum; quæ alibi ad maturitatem pervenit, aliò translata marcescet. Adde quod ætas anni quoq; attendenda sit. Si ab hominum pravitate atq; intemperantiâ ad mundi naturam argumentari velis, incongruum est. Eclipses horridiores & frequentiores esse, quam olim, Historiæ ac Mathematicorum observationi contradicit. Deniq; si sponte jam ad interitum vergit, quò pacto supernaturaliter deniq; destruendus est?

Scal. exerc. 99. sect. 2.

Just. Apol. 2.
Aug. l. 20. C. D.
c. 34.
ap. Minut. in
Octav.

Basil. hom. 2. in
hex. Euseb. l.
51. Præp. Ev.
c. 17.
l. 1. Metam.
v. 256.

§. 22. Destruendum dicimus & credimus, ita ut penitus annihiletur. Odio id Gentilibus olim fuit, testibus Justino, Augustino, aliisque. Rifu excipit Cœcilius: *Mundo, inquit, minantur incendium, ruinam moliuntur: aniles fabulas adstruunt & annectunt; renasci se post mortem & cineres & favillas. &c.* Stoæ placitum fuit (corrupta & dimidiatâ fide) κυκλωγένεσις & ἐκπύρωσις s. Circularis Mundi è mundo nativitas: quodq; humore absumto omnis ignescat; sed ut è cineribus suis Phoenix, idem specie, numero diversus prodit: Ita è Mundo in cineribus sepulto novum mundum proditurum censuit: ut Basilius autor est. In finitos mundi ortus ac occasus juxta periodorum fatalium vices introduxit. Hinc Ovidius:

*Esse quoq; in fatis reminiscitur, affore ter-
ris,*

*Quò mare, quò tellus, corruptaq; regia
Cœli*

Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Sen. Consol. ad Marciam. c. 25
Clarius Seneca: *Et cùm tempus advenerit, quo se Mundus renovaturus extinguat, viribq; ista se suis cadent, & sidera sideribus, incurrent, & omni flagrante materia, uno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoq; felices anima & eterna sortita, cùm Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, & ipsi parva ruina ingentis accessio in antiqua elementa vertemur: Felicem Filium tuum Marcia, qui ista jam novit. Quæ miseranda certè felicitas.*

§. 23. Ab hâc Stoicorum opinione non procul absunt substantialem Mundi mutationem defendentes quoad formam in melius convertendi: ad eum modum quo arte Chymicâ ex aureo Achille prodit aureus. Nec desunt, qui illum interi-

interitum Mundi perfectivum ac renovativum asserunt, secundum qualitates, speciem, decus & usum externum, similem illius aurifabrilis mutationis, quo medio igne vas rubiginis oblitum ac vetustate deforme purificat ac in melius mutat. Sed hæc in alio foro dijudicantur. Hic subsistimus, Deoq; immortalis gratias decernimus, Nam

*Tibi Creatori Laus Debet Vr ab
oMni!*



Non est de nihilo de MUNDO quæstio MUNDI
Præsertim docti, naturæ arcana Deique
Serutando efficimur magnâ cum laude scientes,
Vestigiis pergas BALDWINI insilire veris
Majorum, mundum nec sic post fata relinques.

*Domino Affini suo charissimo primum
in Academia nostrâ edenti specimen
animitus gratulab.*

VVerner Theodorus Martini
J. U. D. P. P.

Spectare Mundum Balduine conaris;
Smirare parvus ipse Mundus in Mundo,
Et Te Creatorem Deumq; ; Mirari
Compellit ad laudes: Tibi incitamentum
Sit laudis, ut Mundo deinde clarescas,
Virtute avitâ prædices Creatorem!

*Affini suo dilecto
apponebat*

Christianus Trentschius,
Prof. P. & h.t. Decanus.

Avi Patrîsq; , Maximorum Luminum
Olim Theologiæ, Nepotes, Filii,

Revee-

Reverentiores Numinis sancti, pii
Doctiq; Fratres, quæ movere satagitis
Perdocta bella? Annon laborum finis est
Ullus? Laborandumne noctes & dies?
Factum bonum! Nec gloriae est ullus locus,
Quàm ubi locus sapientiae est pia, nec est
Sapientiae, quàm ubi laboribus est locus.
Quos improbos amant & optant quasi sibi
Animæ optimæ, sed quæq; fugiunt desides.
Vobis benè sit ambobus, integerrimi
Fratres Avi Patrisq; Virtutum æmuli.
*Sic mortuus non est Avus, nec mortuus
Pater, sed optimis in Natis agunt.*
Vox omnium est: *Feliciter! Feliciter!*

Quod deproper.

Constantinus Ziegra

SS. Th. D. P.P.

*Ad Præstantissimum Dn. Respondentem, Convictorem
atq; Amicum suum dilectissimum.*

Ἀγῆτον ἔργον ΚΟΣΜΟΣ, ἀμφὶ δὲ δύσκολον
Ἄυτῷ πέλει λόγῳ. Νέμει δ' Ἄυτὸς καλῶν
ἔργων ἄποινα, κῦδ' ἐσλὸν καὶ κλέος.
Ὅπω οἶα, φίλε, σοι σαφῶς συνέσπειαι.

M. BALTHASR STOLBERGIUS,
Facult. Philos. Adjunct.

HOc opus Artificis, qui continet omnia, Mundus:
Hoc tamen expressum parva tabella tenet
Mens super extremos volitabit sedula Cœlos
Reddet & Artifici cordis & oris opus.

*Affectus fraterni pignus
adj.*

M. GÖZZIUS BALDUINUS.



05 A 1906

ULB Halle

3


003 784 916



1017







D. O. M. A.
DISSERTATIONEM PHYSICAM
De
MUNDO,
In Electorali ad Albim
Academia
PRÆSIDE
M. Gottlieb BALDUINO,
Publicè ad ventilandum pro-
ponit
JOHANNES BALTHASAR
BALDUINUS,
Cycneus.
Ad d. 7. Maji
In Auditorio Minori, Horis antemerid.

Literis MATTHÆI HENCKELII.
ANNO M. DC. LXIV.